

stibus inscriptionibus, quas ipse, ut probatum dedit Vale-
sius, singulis capitibus praefecit. Nec tantum in cuiusvis
libri fronte haec leguntur, Ευσεβίου τοῦ Πάμφιλου Ἐκκλησια-
στικῆς ἰστορίας λόγος, pro quo Socrates, et Sozomenus
τόμον dicunt, sed et singulis libris haec imponitur clau-
sula, Ἐκκλησιαστικῆς ἰστορίας λόγου τέλος. Nec aliter Syrus, qui
integram Φράσιν, πρῶτον λόγον ἐποίησάμην, idque non incon-
cinne, ita transtulit Δοδα βιβρα βδοδα *librum primum*
scripsi. Et ipsemet Actus in titulo nominat ωωρρ? βδοδα
librum πράξεως s. Actuum. Alia pro hac significatione exem-
pla collegit, doctissimus Raphelius, in Anot. in N. T. ex
Polyb. et Arrian. collectis, quibus iterum orbem sibi erudi-
torem obstrinxit. Cum uero illi Actus ab ipso postea Eu-
angelio separati sint, et uel quatuor Euangeliorum uo-
luminibus, uel Epistolis Paullinis, aut, quod in quibus-
dam Codd. fieri uidemus, ipsimet ἀποκαλύψει subiuncti, tum
consultum esse putarunt ueteres, Lucae iisdem praescribere
nomen. Affert Rich. Simonius in H. C. N. T. cap. II. p. 20.
duas libri huius inscriptiones ex Codicibus MSS. Bibliothecae
Regiae, in urbe Parisiensi, quarum una haec praefert
uerba, Λουκᾶ Ἐυαγγελιστοῦ πράξεις ἀποστόλων, altera ita ha-
bet, πράξεις τῶν ἁγίων ἀποστόλων διὰ Λουκᾶ ἀποστόλου. Quibus
addo uersionem Syriacam, in qua titulus ita se habet, *Liber*
Rerum. Hoc est, Historia Apostolorum beatorum, quam collegit San-
ctus Lucas Euangelista.

XI. Insertum autem aliud est titulis, cum in fontibus
ipsis, tum in uersionibus. In fontibus nominibus Scripto-
rum propriis adiiciuntur non elogia modo, sed et officia,
et dignitates, quibus sunt gauisi. Ita dicuntur Sancti, Euan-
gelistae etc. Quae tantum abest, ut a uiris sanctis profecta
sint, ut illi etiam, quae uetustiorum fuit sententia, ex
summa modestia, animique demissione, nomina sua reticu-
erint. Qua de re uideri poterit Eusebius, de Dem. Eu. L.
III. p. 120. Sed interpretibus haec nondum sufficiebant,
nisi praeter linguam, in qua praedicatum est εὐαγγέλιον, locum

B

pari-